

gorit. et obed. et l. Potior. ff. Qui potior, in pignor. habeant.). Unde illud: Contra majorem, nemo praesumat honorem. (l. Quia etsi et ibi gloss. v. Non possumus. ff. de Alien. Judic. mutat. causa facta).

STATUTUM XXIX.

De modo conferendi Beneficia Collegii Extraneis.

Siquidem Beneficia Collegio incorporata et ad ejus collationem spectantia exiguos habeant proventus adeo, ut ex illis sustentatio debita esse nequeat: ideo statuimus, ut hujusmodi Beneficia pro unica duntaxat vice, nisi aliter Collegio visum fuerit, etiam Extraneis conferri possint et valeant. Caeterum quia receptor Beneficii naturaliter benefacientibus benefacere teneatur (per l. Sed etsi lege §. Consuluit. ff. de Petit. Haeredit.) ad auctionem ejusmodi Beneficii ex collatione Collegii accepti, tum quam minimam obligationum (ut exactius penes Professionem per Professorem adimpleantur) impositionem obligetur idque in effectu et non in verbis tantum praestandam. Promittentibus namque maria et montes non est credendum (jux. gloss. l. Non omnes. §. Qui transfugit. v. Ea. ff. de Re militar.). Ubi enim opus est facto, ibi verba non sufficiunt. (l. Peculium. in fin. ff. de Pecul.). Facta ntique sunt verbis potiora. (l. De pupillo. §. Meminisse. ff. de Nov. oper. nuntiat.) et carius est modicum praesens, quam multa futura: (l. Cum hi et ibi gloss. v. Modico. ff. de Transact.) Quod idem (Claudian. in d. gloss. Modico.) confirmat inquires: Omne futurum despicitur svadentque magis praesentia fructum.

STATUTUM XXX.

De Mensa Collegii instituenda et manutenenda.

Licet hactenus communis Collegii mensa sit intermissa, tamen ad eandem manutenendam non solum Foundationum praescriptis, verum etiam majori Professorum commoditate, minori pro eadem expensarum, quae ex symbolis, hoc est plurium collatione (jux. gloss. can. Non oportet. v. Ex Symbolis. dist. 44.)

proveniunt, erogatione ac aliis rationibus animum cujuscunque permoventibus compellimur; ideo reassumendo antiquam laudabilem hujus Collegii de manutenenda communi mensa consuetudinem, statuimus et ordinamus, ut Praepositus Collegii pro tempore existens, ex Censibus ad Mensam Collegii spectantibus, Mensam communem quotidie, idque diebus feriatis media duodecima, jam vero diebus non feriatis hora undecima, Caenam vero hyeme hora Sexta, aestate hora Septima juxta cursum medii Horologii, haberi, portiones pro diversitate dierum diversas apponi, alias consuetudinem antiquam hujus Collegii et aliorum observari curet. Praecedens enim consuetudo et ratio quae consuetudinem svasit, tenenda est. (can. Consuetudo. dist. 12.)

STATUTUM XXXI.

De Portione Professoris a Mensa absentis.

Quoniam qui alimenta negat, necare videtur. (l. Necare. ff. de Liber. agnoscen). Ideo Clarissimus Dominus Praepositus pro tempore existens absenti a Mensa Professore et Lectionem hac die si est non feriata legenti, alimenta hoc est portionem eundem concernentem non denegat, imo eandem exceptis pultibus, multo magis si sit in negotio Collegii vel Universitatis et hac die speretur, in Culina asservari curet. Absentia enim ejus, qui causa communi abest, neque ei, neque alii damnosa esse debet. (l. Absentia. ff. de Regul. Jur.).

STATUTUM XXXII.

De benedictione, gratiarum actione et aliis circa mensam servandis.

Quandoquidem Cibus, maxime in sortem Dei electorum debeat praecedere benedictio, inter Cibus lectio, post cibum gratiarum actio. (can. Quando autem. dist. 44.) ideo inhaerendo ejusmodi canonis dispositioni decernimus, ut Clarissimorum Dominorum Professorum, per pulsum Campanae ad Mensam vocatorum prior versum incipiat et cibum benedicat, factaque benedictione, omnes et singuli ordine vocationis ad Collegium,